

Franckesche Stiftungen zu Halle

Copia Epithetorum, Substantivorum, Verborum, Adverbiorum, Item Indices Deorum Atque Herorum Veterum, Descriptionum, Comparationum, Periphrasium Ac ...

Jani, Christian David

Halae Magdeburgicae, MDCCLXXIV.

VD18 13046624

Prolusio De Instituto Atque Usu Huius Promptuarii.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:hbz:5:1-201533



PROLVVSIO
DE
INSTITVTO ATQVE VSV HVIVS
PROMTVARII.

§. I.

Quae hic tironibus traditur epithetorum, substantiuorum, verborum atque aduerbiorum copia, ea quem habeat vsum, cum multis quaerere ex nobis audimus, tum vero paucis nunc praecipere in animo est; ut et videant, quos subridentes ad hoc promptuarium (sunt enim, qui ad omnia subrideant) conspiciere nobis videmur, illi igitur ut videant, non esse illud plane contemnendum, et discant ipsi tirones, quomodo illo cum fructu et possint et debeant uti.

§. 2.

Prima libelli dos est, quod ad cognoscendam *quantitatem* utilis est. Sic, ut vocabuli disyllabi quantitatem cognoscas, quaerendum illud erit in pyrrhichius, iambis, trochaeis et spondeis. Item trisyllaba inuenire facile est. Quodsi *verbi* quantitatem cupias discere, *participium* quaeres, in epithetorum copia. Nec minus, si de pronunciando quocumque vocabulo dubites, haec tibi copia adiumento sit. E.g. si scire cupias, sitne pronunciandum: irritō, an: irritō; quaeres participium *irritans* primum in | — ◡ — |; non reperiēs: at in | — — — | aderit. Item dubitas, quomodo pronuncietur *Helena* aut *Hecuba*; inuenies vtramque in copia nominum propriorum sub | ◡ ◡ ◡ |. Item de incremento nominum non frustra consules hunc indicem, atque vtrum longum sit, an breue, facile discēs. E.g. sub | — — | intelliges, *spadix*, *abbas*, et alia, incrementum habere longum, dicendumque *spadiceis*, *abbatis*, cet.

A 2

§. 3.

§. 3.

Alter autem, ac praecipuus quidem, huius promtuarii finis, nobis propositus, est, ut tironibus, proprio Marte versus composituris, adiumento sit ad epithetorum ac synonymorum copiam comparandam. Etenim ita illud ad pedum prosodiacorum rationem dispositum est, ut, quocumque tibi vocabulo, et cuiuscumque vel longitudinis vel quantitatis opus sit, ad structuram versus perficiendam, illud nullo inde possis labore depromere; siue monosyllabum desideres, siue disyllabum, siue plurium etiam syllabarum. Exemplum ponamus. Pentameter componendus est ex hac sententia: *ingenium diuitiis antefere-
rendum est*. Pro *diuitiarum* nomine, disyllabum quaere in substantiuorum indice sub | ◡ ◡ | aut | ◡ — |, quo claudas pentameter; et quidem a vocali incipiens, ne forte, verbi tertia persona antecedente, positio exoriat-
tur. Reperies in | ◡ ◡ | *ebur*, signum diuitiarum; sic ornabis sententiam tropo. Iam pro *antefere-
ndum est*, breuius verbum, v. c. disyllabum, sed eiusdem significa-
tionis, quaere in participiis sub | — — |. Habebis *vincens*. Ergo pone:

Ingeni | um ◡ ◡ | — || — ◡ ◡ vincit e | bur.

Nunc epitheton adice *ingenio* atque *ebori*. Vides in altera versus parte desiderari *dactylum*; ergo quaere in | — ◡ ◡ | epitheton, quod ingenio congruat, item cuius neutrum, ut facile apparet, in vocalem desinat; atque igitur quod tertiae declinationis sit. Occurrit primum *utilis*; sed *utile ingenium* parum exquisitè dicatur. Contra in illis, quae a consona incipiunt, occurrit *fertilis*, *nobilis*. Vtrumque bene conuenit ingenio. Nunc habes:

Ingenium — — || ◡ ◡ — || nobile vincit ebur.

Restat

Restat epitheton *ebori* tribuendum. Intelligis, hoc tibi quaerendum esse sub | — ◡ | vel | ◡ ◡ ◡ | vel | — — | vel denique | ◡ ◡ — | ; et quidem, quod a consona incipiat, et cuius ultima syllaba vel natura longa sit (vt in participiis) vel positione produci possit. Sub | — ◡ | reperies *clarus*, *gratus*, *pulcher*, *diues*; sub | — — | *candens*, *fulgens*, *splendens*; sub | ◡ ◡ ◡ | est *niueus*, *solidus* cet. Haec omnia bene conueniunt ebori. Iam igitur perfectus est versus, quodcumque epitheton ponas. E. g.

Ingenium candens nobile vincit ebur.

Item, si pro *ebur* ponas *opes* non minus difficile fuerit sic versum struere:

Ingenium magnas nobile vincit opes.

Si in sapphicum metrum transfundere eandem sententiam cupias, pro *opibus* quaere substantium aliud sub | — ◡ | aut | — — | , quo finias versum; et quidem, quod incipiat a vocali; vt proxime antecedere possit *vincit*. Inuenies *aurum*. *Ingenium* non capiet sic simpliciter versus. Poteris ponere genitiuum contractum *ingeni* cum alio substantiuo, quod ingenio conueniat. Illud oportebit te quaerere in copia substantiuorum, sub | — — | vel | — ◡ | ; produci enim ultima syllaba poterit positione, si quidem vocabulum consona finiatur. Nam sic iam habes:

Ingeni — — || ◡ ◡ vincit aurum.

In | — ◡ | quae forsitan placeant, habes *lampas*, *culmen*, sed haec nimis coacta; item *flumen*, sed nimis prosaicum est *flumen ingenii*. Aptius sit *lumen*. Tum occurrunt *robur* et *fidus*; haec etiam altius repetita. *Splendor* autem bene habet. Igitur pone:

Ingeni splendor ◡ ◡ vincit aurum.

6 DE VSV HVIVS PROMTVARIL.

Denique sub | ◦ ◦ | facile reperies epitheton *rudis*, quod eo exquisitius *auro* congruit, cum opponatur *splendori ingenii*, et sic contemptum habere videatur.

Ingeni splendor rude vincit aurum.

Lubet, alterum exemplum addere; sed in eo breviores erimus. De bombyce dixeris: *serico pectus plenum est*; ex his hexametrum compone. Pro singulari *pectus* utere plurali *pectora*. Pro *plenum esse* magis poeticum erit *tumere*. Pro *serico* pone genus *filum*. Sic habes:

— — | — — | — ◦ tu | mont — | pectora | filo.

Pro *pectora* quaere sub | — — ◦ ◦ | neutrum plurale. Reperies *praecordia*. Iam quaere epitheton *filo* addendum, a quo versus incipere possit; ergo sub | — — ◦ | vel | — ◦ ◦ ◦ |; nam ultima certe longa erit, pones enim ablativum. Inuenies epitheta *angustus*, *auratus*, *abstrusus*, *occultus*, *egregius*, *eximius*, *ingenitus*, *auricomus*. Omnia bene congruunt *serico*, optime tamen illa, *auratus*, *ingenitus*, *auricomus*. Ergo pone:

Auricomus tument praecordia filo.

Explebit versum epitheton *praecordiis* adiectum. Sub | ◦ ◦ — ◦ | inuenies *generosus*, *pretiosus*; quorum utrumque exquisitum habet sensum. Igitur:

Auricomus pretiosa tument praecordia filo.

In sapphicum metrum si transferre cupias, habeas statim, quibus finias carmen:

— ◦ — — — *pretiosa filo.*

Pro *tument* quaere verbum aliud, quod spondeum efficiat; ergo quaere in participiis sub | — — |; et reperies *turgens*. Verbo itaque *turgere* utere.

— ◦ — *turgent pretiosa filo.*

Iam

Iam pro *auricomus* desideras aliud. Facile sub
| — o o | praebebit se tibi *aureus*, *abditus*. Ergo
habes:

Aureo turgent pretiosa filo

Corda (vel *Pectora*, ultima syllaba absorpta.) —

§. 4.

Intelligi facile potest, quomodo, si ita placuerit, plu-
ra coniungi epitheta possint. Cum enim duo epitheta,
simpliciter adiecta vni subiecto, non ferantur in carmine;
poteris pro vno substantiuo ponere duo. E.g. *curuami-
na ripae* pro *ripa*. Tum, epithetorum ornatu adhibi-
to pones: *longae curuamina florida ripae*. Vel *curua-
mina florida*, tamquam *appositum*, in medio pones:
Nunc iacet ad longam, curuamina florida, ripam.
Quemadmodum *Virgilius* (Ecl. 9, 9.): *veteres, iam fra-
cta cacumina, fagos* dixit.

§. 5.

Sed iam dudum audire mihi visus sum quorundam
vocem: „videmus omnium horum epithetorum copiam,
„sed tironum iudicio, quod debile atque inexercitatum,
„saepe prope nullum est, quis tantum tribuere ausit, ut
„delectum debitum eos instituere posse arbitretur? „ Au-
dio! sed cum benignius, tum rectius hos iudicatu-
ros con-
fido, si cogitauerint, recte ac multo magis etiam idem ob-
iici posse illis promtuariis, in quibus vocabulis omnibus
adiecta sunt synonyma, epitheta et phrasae poeticae. Nam
solent ex his tirones sine discrimine, quaelibet obuia, ad
complendum versum maxime idonea, arripere, parum
soliciti, quam quaeque vim ad sensum vel ornatum ha-
beant. Igitur, nisi subactum sit multarum rerum cogni-
tione iuuenum ingenium, ex his ipsis thesauris ineptissima
carmina component. Nostro autem hoc promtuarium cum
insigni fructu discent uti, si initio, *quod omnium maxime*

postulamus, magistro duce, sic, vt nos in duobus exemplis ante ostendimus, ad illius vsum fuerint instituti, atque ita adfuefiant quasi amico huic suae poëseos comiti. Quid? quod coacti, quoduis epitheton, substantiuum, verbum, aduerbium, sub ea, quam perlustrant, quantitatis forma subiectum, accurate expendere, multo facilius feliciusque delectum instituere consuescent, iudiciumque exercere, quam si commodiore, at profecto noxio, thesaurorum adiumento vtantur. Omnino ad manum oportebit esse lexicon, aut certe vocabulorum, germanice expositorum, enchiridion, vnde, si qua hic occurrant, illis ignota, significationem discere possint. Fatemur, plus temporis atque operae nostri promptuarii vsum poscere, quam thesaurorum vulgarium; sed tantò etiam plus vtilitatis inde percipi, neque nos adfirmare dubitamus, neque dubitabit, quicumque omnem hanc prolusionem attente legerit. Neque ipsi hi, qui iam exercitatiores sunt in componendis versibus, sine vtilitate hoc in manus fument promptuarium. Nam edocti erunt vsu magistro, non semper occurrere animo epitheton aut synonymon, verbum aut aduerbium, quod optimum sit atque accommodatissimum argumento. Id nostrum promptuarium liberaliter suppeditabit; et saepe in epitheton incidere se videbunt, quod in thesauris frustra quaeratur, sensumque reddat exquisitum in primis atque ornatum. Veluti in illo nostro exemplo de bombyce, quam exquisitum est illud, *pretiosa praecordia*! Ceterum, cum accedant huic nostro promptuario *indices* periphrasium, descriptionum, comparisonum cet. satis vberes ad elocutionem poëticam fontes sibi apertos intelligere arbitror iuuenem poëseos studiosum.

§. 6.

Denique sic adornatum est hoc promptuarium, vt primum locum occupet copia *epithetorum*, hoc est, *adiectiuorum* et *participiorum*, cum auctario *praeteritorum*; vt
verbo-

verborum simul copia suppedietur. Deinde sequitur *copia substantiuorum appellatiuorum*; tum adiectiuorum *patronymicorum* et *gentilium*; deinde *nominum propriorum*; denique *aduerbiorum*. In omnibus autem his indicibus, is ordo seruatur, vt in quauis forma praemittantur ea, quae a vocali incipiunt. In primis autem nonnullis vocabulis signum quoddam adiecimus. Nempe *vocabulis poëticis*, h. e. quae vel numquam vel rarius apud scriptores classicos liberi sermonis leguntur, et quibus igitur extra carmen locus non est, adpositum videas *asteriscum* (*). Vocabula omnino *rara* habent *R. Archai- ca* distinximus littera *A*. Significauimus etiam interdum poëtam, cui vocabulum, siue ab inuentione, siue ab usu, idque vel omnino vel in primis proprium est; adiecta littera; e. g. *L. V. H. Q. C. T. P.* quibus septem illos principes, *Lucretium, Virgilium, Horatium, Ouidium, Catullum, Tibullum, Propertium* denotari, vix opus est vt moneamus. Occurrunt etiam interdum *Pl. Te. M. Ph.* h. e. *Plautus, Terentius, Manilius, Phaedrus*. Haec: *r. r.* item *b. n.* significant *rei rusticae ac hystoriae naturalis* scriptores. Illis autem, quae deterioris aetatis seu inferioris latinitatis sunt, hoc addidimus signum (†); neque his temere vti volumus tironem; plurima enim non nisi in iocis et lusibus poëticis poterunt vsurpari. Denique signa, *participiis praesentibus* addita, non tantum ad ipsa, sed omnino ad *verba* pertinent, nisi nominatim adpositum sit: (*part.*). Tum enim ad solum participium signum pertinet; quod in *participiis passiuis* semper ita esse tirones habento.



A 5

COPIA